

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 2: De aliis peccatis Caput 8: De inani gloria (7)

Idem (Gregorius):

Vitandum est ne vane glorie ardore,

satis religiosus plus humilis,  
quam necesse est velit apparere vel videri,  
ne vanam gloriam fugiendo querat.

Illud quoque tibi vitandum est cautius, ne uanae gloriae ardore capiaris.  
quomodo, inquit Iesus,  
potestis credere gloriam ab hominibus accipientes?  
uide, quale malum sit, quod qui habuerit, non potest credere.  
nos uero dicamus: quoniam gloriatio mea es tu,  
et: qui gloriatur, in domino gloriatur,  
et: si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem,  
et: mihi absit gloriari, nisi in cruce domini mei Iesu Christi,  
per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo,  
et illud: in te laudabimur tota die,  
et: in domino laudabitur anima mea.  
cum facis elemosynam, deus solus uideat.  
cum ieunas, laeta sit facies tua.  
uestis nec satis munda nec sordida et nulla diuersitate notabilis,  
ne ad te obuia praetereuntium turba consistat et digito demonstreris.  
frater est mortuus, sororis est corpusculum deducendum:  
caue ne, dum hoc saepius facis, ipsa moriaris.  
ne satis religiosa uelis uideri nec plus humilis,  
quam necesse est.  
ne gloriam fugiendo quaeras.

Hieronymus Stridonensis, *Epistulae*, 22.27.1-4 (CSEL 54,  
I. Hilberg ed., pp.182-3, ll.10-20, 1-7).